



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Probatur magnoperè opus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

tis modis indignum, ac imparem esse, praesertim si cum aliis doctioribus Theologis conferar; nemo suspicetur quæso, me grauatim hoc accepturum esse. Imo vero præclare mecum actum iri putabo, si post hunc librum primum editum cessare iubeat, & alius tradam lampada, qui rem tantam pro dignitate velint, & possint absoluerè. Nec enim ignoro alios vocationis meæ proprios esse labores, quibus maiore fortasse cum fructu, gustuque spiritus hoc tempus, quod molestissimis studiis tribuo, possim accommodare, quando ita obedientia sancta permittet.

*Probatum ma-  
gnopere opus.*

Probatum est ex merito vehementer opus cū vbiq; alibi, tum in vrbe Doctis, ipsiq; Pontifici, qui solamen exhausti laboris, quod Canisius vnicum ad corrigendam suam (sic ad Polancū scripsit) innouandamque vitam expetiuit, plenariam indulgentiam summa voluntate concessit. Aderat in Vrbe Cardinalis Hosius, qui perlecto opere, vt primum Polancum vidit, in maximam eius commendationem excessit. Plurimum à doctrina, perspicuitate, modestia, iudicio, prudētiaque, ab ingenio, & acumine commendabat; eloquentiam item ac stylum summè probabat; sed supra omnia pietatem admirabatur, quam elucere illo

in



in opere sic affirmabat, vt in veterum Patrum, atque Doctorem monumentis Deniq; quam fidei suæ confessionem Pater libro præfixerat, eam vero sine vilo fine, & mirabatur, & prædicabat: protinusq; ab ipso voluit Polanco, legi, cui itē æque pia, ac docta, succinctæ breuitatis, ac plurimi succi visa est. Quam nec aliter quisquam existimabit, qui legerit. Quam ob rem nec lectorem hac fraudauerim voluptate aliove reiecerim. Est ergo huiusmodi.

*Confiteor tibi Pater Domine cali & terra, Creator, & Redemptor meus, virtus & salus mea,* Confessio pulcherrima operi præfixa.  
*qui iam inde ab infantia me sacro pane verbi tui pascere, & cor meum confortare nō desisti. Ne vero vagarer cum errantibus ouibus, quæ sunt absq; Pastore, in domo Ecclesiæ tuæ me collegisti, collectū educasti, educatum conseruasti, & sub illis magistris, atq; pastoribus instituisti, in quibus te presentem audiri, & vocem tuam obseruari domesticis omnibus præcepisti. Confiteor ore ad salutem quicquid corde ad iustitiam ab orthodoxis, atque Catholicis creditur. Non noui Lutherum; Calvinum respuo; Hereticis omnibus dico anathema. Nihil mihi cum his commune esse volo, qui unum non dicunt,*